



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Ex editione voluminum De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, calumnia schismatis impacta est Gallis famoso quodam libello, & Libertates contumelia affectæ. Inde nata occasio harum Dissertationum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591



DE
CONCORDIA
 SACERDOTII ET IMPERII
 SEU
DE LIBERTATIBVS
 ECCLESIAE GALLICANÆ

Dissertationum Liber primus.

CAPVT PRIMVM.

Synopsis.

I. Ex editione voluminum De Libertatibus Ecclesie Gallicanae, calumnia schismatis impacta est Gallis famoso quodam libello, & Libertates contumelia affectae. Inde nata occasio harum Dissertationum.

II. Refellitur calumnia ex iis qua gesta sunt post eorum voluminum editionem: quae damnata sacri Consistorij decreto, & Episcoporum sententia; Libertatibus illas.

III. Qui Libertates illas religiosè expendit, viam schismatibus pracludit, non recludit. Frequentiores contentiones: ob irvasam jurisdictionem; unde bella, & schismata.

IV. Schisma Graecorum originem trahit ex usurpatione Diaeceseon. Leo Isaurus ob imagines damnatas excommunicatus, Illyrici Diaeceseim à Romana Ecclesia auulsam Constantinopolitane tribuit.

V. Hadrianus I. hanc frustra reperit in vijs. Synodo. Minatur excommunicationem. Nicolaus petitione excidit, & à Bulgarica Diaecesi depulsus est.

VI. Ignatius, pulso Photio, restitutus ope Hadriani II. Bulgariam sibi addidit curavit in oclava Synodo. Hadrianus minas excommunicationis inemat.

Photius, post obitum Ignatij recepta sede, Joannis VIII. consensum extorsit, ea lege, ut Bulgaria restitueretur. Joannis spe artibus Graecorum elusa, Photius est anathemati antiquo redditus. Inde schisma, quod auctum est per controversias dogmatum.

VII. Dissidium Gregorij VII. & Henrici, ob iura Investiturarum, & Libertatem Ecclesie.

VIII. Ex eadem Libertate lesa fluxit schisma Friderici I. Hadriani IV. & Alexandri III.

IX. Et Dissensio Friderici II. Gregorijque Noni. Schisma quoque Ludovici Bavari.

X. Galli pacem cum Ecclesia & iura sua resinuerunt; à dissidio quandoque non alieni, si iuribus suis minuti fuissent, ex Ivone.

XI. Bonifacij VIII. & Philippi Pulcri dissidium ob jurisdictionem.

XII. Laudandi qui laborant in constituendis utriusque potestatis finibus ex mutua possessione.

PRODIIT nuper è tenebris inauspicatus libellus, quo famam sibi comparare scelestissimè conatur insanus scriptor; id

Isa. Habertus Ec-
clesiæ Parisi. Theo-
logus, nunc Epi-
scopus Vabrensis
in Ruthenis.

præcipuè curans, ut Regni Gallici dignitate verbis atrocibus violata, hanc etiam nefandi schismatis labem inurat Ecclesiæ Gallicanæ, tanquam in eo sit ut propediem erumpente dissidio, novus Patriarcha, velut caput insititium jam lacero corpori & detruncato imponatur. Hujus facinoris calumniam vir clarissimus, & nominis æquè ac eruditionis celebritate conspicuus, Isaacius Habertus, elegantissima & fortissima oratione dispulit. Enimvero quia perfidus ille artifex imaginarij schismatis, inter cetera deploratæ causæ argumenta, malè conceptam opinionem veluti tibicine quodam fulcire videtur editione duorum voluminum quæ sub Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ titulo prostant, eoque nomine in invidiam omnes Regni ordines trahere nititur, ac si eo proposito publicatum esset illud opus, ut sacrosanctæ sedis apostolicæ auctoritas veluti ludibrio quodam traduceretur, Episcoporum jura profligarentur, & his artibus omnium animi ad mediatum dissidium provocarentur, necesse est ut in isto etiam capite calumnia illa studiose præteratur, quò & calumniatoris supinitas in affingendo crimine pateat, & Libertas Ecclesiæ Gallicanæ asseratur, quæ veluti per insidias hoc dicendi genere contra fas omne impudentissimè petitur. Cùm autem sacra quoque Imperij Gallici jura & fori quotidianam trituram hæc quæstio complectatur, in eam sagaci cura incumbendum est, & deinde sollicitè perspicendum, an volumina illa debitam sedi apostolicæ pietatem lædant; an verò operis illius à viro pacis & tranquillitatis publicæ studiosissimo compositi suggillatio, Impostoris illius Pseudo-Galli audaciæ sit adscribenda. Tantum onus sicut ultro suscipere temerarium foret, ita impositum detrectare religiosum, ei potissimum, cujus omnis in obsequio virtus sita est; maximè verò cùm ea sit Ecclesiæ Gallicanæ causa, quæ nullis adjumentis egeat, & rationibus probè subductis, paria semper cum æquitate faciat. Fiducia igitur juris atque imperio frerus, provinciam mihi mandatam suscipio; sperans neque me apud æquos bonosque gratiam desideraturum, neque causæ, tenuitatem ingenij mei obfuturam.

II. Poterat sanè hoc argumento harios noster superfedere, nisi eum animi ægri impotentia in calumnias præcipitem daret. Nullum namque ab horum voluminum editione discrimen in Ecclesiam derivari poterat, cùm & auctoritate publica destituerentur, & Nuntij Pontificij querelishac de re apud Regem delatis optimè cautum

esset. Titulus ille Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Pontificis Apocriarium omnia etiam tuta timentem commovit, suspicantem scilicet aliqua nova dogmata in detrimentum apostolicæ sedis his libris proculdi. Auxit metum importunè aliquibus locis ingesta Tomo primo aliquot impiarum sententiarum mentio; nempe, *Nihil juris in Gallicanas Ecclesias Romano Pontifici sex primis seculis competitivisse. Clodovei temporibus Regem summum in terris & primum à Christo Caput Ecclesiæ Gallicanæ fuisse, non autem Papam. Non licere Papa extra diæcesim suam excommunicationes ferre.* & ejus generis alia. Eximia illa quæ in Gallia semper viguat ad Summum Pontificem colendum propensio, & impensa Eminentissimi Cardinalis Ducis Richelij cura ad retinendam Regni & Ecclesiæ pacem, Sanctoris Consistorij Decretum statim provocavit, quo Librorum istorum commercio est interdictum. Quod non ita interpretari oportet, ac si Libertates Ecclesiæ Gallicanæ Regis Decreto profligatæ essent. Tot enim illi tantique labores, quos ad socios juvandos, ad fines Regni tuendos proferendisque Rex Christianissimus impendit, id suspicari neminem patiuntur, ut pro desertore eorum jurium habeatur, quæ ab invictissimis Regibus Clodoveo & Carolo Magno & à sanctissimo & immortalis memoriæ Rege Ludovico IX. sub Libertatis Ecclesiæ Gallicanæ nomine, Coronæ Regiæ asserata sunt. Eo consilio tantum interdictio decreta est, ut omnibus constaret justis Nuntij petitionibus locum esse, & alienas à Gallorum sententia & moribus opiniones apud nos non foveri. Ejusdem Eminentissimi Cardinalis operâ cogitur Episcoporum, qui erant in comitatu, cæctus satis frequens: qui profanas vocum novitates exosi, diris totum opus extemplo devoverunt, non scrupulosa inquisitione solertiam, sed celeritate studium suum probare satagentes. Quod tamen per temporis angustias non licebat, in gravissimos aliquot Theologos discutendi operis laborem refuderunt: qui mandata potestate, & quasi vicaria, distringendarum impiarum sententiarum, & publice, si quæ inter legendum inciderent, proscribendarum munere defungerentur. Ex ordine rei gesta satis se prodit impacta calumnia, ita ut legis Remmiæ reum pœne subducere nullo rhetorum colore fas sit. Scilicet ex eorum voluminum editione schisma rimendum erat, quorum corpus auctoritate publica proscriptum est, eò solum prætextu, ut dixi, quòd cruda quædam & minùs decocta verba quibusdam